

bus nec auscultare Spiritum Dei, nec diligenter scrutari Scripturas libet; quandoquidem nec castos præceptorum istorum limites, nec potentiam Dei omnia exsuperantem agnoscunt. Sunt ista alias a Cl. Iac. Bernardo in Novis literar. Amstelodamensibus, bene confutata.

PRÆNOTIONES

CONTRA

ANTISCRIPTVRARIOS FANATICOS

CVSTODIENDÆ.

PRÆNOTIO I.

Nihil concedunt Naturalistis Fanatici in Scripturæ S. contemptu, nisi quod interdum occulte magis turpe hoc institutum urgeant, incautisque non raro persuadeant, nihil se antiquius habere quam S. literas; verum & hic diversos dari gradus, neque omnes eodem ubivis modulo mensurandos esse, non tam largimur, quam ipsi ultro monemus. Pleraque Antiscripturarium Naturalistarum præjudicia, quæ in Prænotionibus superioribus refutata sunt, Fanatici